

1495 habebat ex sua classe reliquas, eo misit: ipse, equitum & militum octo millibus regni præsidio relicts, ad diem tertiumdecimum calendarum junii cum reliquo exercitu Neapoli profectus viæ se dedit. Alexander, ad quem quidem Veneti de Carolo id, quod accidit, opinione existimantes futurum, ut nuncio de fœdere accepto, in Galliam redire contenderet, Pontificis timentes rebus, jam ante eos dies alteros equites levis armaturæ quingen-tos ex iis quos ab Epiro Laconiaque accersitos celeritate præstantissimos habebant, miserant, quibus ad omnes casus uti posset; regem Romæ appropinquantem, Cardinalibus Romanisque principibus adhibitis, non expectare decrevit: septusque equitum numero duum millium, peditum trium millium quingentorum, discessit, atque Urbem veterem biduo venit. Illis diebus Carolus certum hominem ad Senatum misit, qui ei diceret, *Suum regem nulli unquam homini supplicavisse: scire tantum velle, utrum civitas amico in se, an hostili animo esset.* Ad ea Princps ita respondit: *Prudentium esse hominum, planeque sapientum, aliorum interdum voluntati se permittere, aliorum opem poscere, precari: illud in ipso esse, amicus ne an inimicus reipublicæ velit esse.* Is postea nuncius, & Philippus regis legatus una Venetiis discesserunt.

Florentini autem cum intellexissent Venetos cum Pontifice ac Ludovico, reliquisque regibus consensisse, Carolumque Neapoli, ut in Galliam rediret, discessisse, novas militum copias celeriter conscribere, seseque præsidio communire cœperunt, ut si Carolus ea vellet iter facere, oppidumque ingredi, repellere illum possent: statuerat enim civitas, nullis iterum conditionibus esse regem mœnibus recipiendum. Pontifice profecto, Carolus Romam venit, atque ad Alexandrum legatos misit, velle se eum alloqui: plurimum utriusque interesse, sibi ejus rei fieri potestatem. Colloquio non impetrato, Tuscanellam, in via Cassia oppidum, quod quidem magna opposita ruricolarum manu Gallos intromittere noluerat, ejus milites, itemque Fisconis montem vi ceperunt. quod ubi Senatus cognovit,

rei-